

De iniectionibus in aures.

C A P. X V.

Dictum fuit de iniectionibus, quæ in anum fiunt, quæ communiter clysmata & enemata dicuntur. Nunc de iniectionibus, quæ in aures, penem, vesicam & vterum fiunt. Quibus communiter iniectionis nomen tribuitur, rarissime clysmatis, vel clysteris, etsi cum prædictis & nomine & materiæ consistentia, & usu aliquo modo conueniant.

Iniectiones autem, quæ in aures fiunt, & nonnunquam clysmata auricularia dicuntur, fiunt ad sedandum dolorem, quæ pro varietate causæ dolorum variant. Si enim ab inflammatione causetur, fiunt ex succis herbarum refrigerantium depuratis (Succus is dicitur, qui exprimitur, & post aliquam consistentiam eius residentia abiicitur) vt lactucæ, violar. portulacæ; Vel ex aquis stillatiis rosar. violar. nymphaeæ, hyoscyami, papau; aliqui tamen & olea addunt, rosac. violac. nenuphar. Vel aqua & oleum simul miscentur, vt:

℞. Succor. defecator. lactucæ, portulacæ, violar. an. ℥ ℞.

aq. rosar. nenuphar. an. ℥ iii. misceantur & in aurem infundantur. Vel

℞. olei violacei, rosac. nymphaeæ an. ℥ ℞. misce, iniiciantur in aurem.

Verum iniectione facta auris obturetur bom-
bace, & post horæ quadrantem, vel semihoram
purgetur; noua quinetiam iniectio fiat. Aduer-
tendum